

Ann. II.

Num. V.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

**BIS IN MENSE PRODIT**

Premium subnotationis annuae, *praesolvendum*, in Italia est Libel. 10;  
ubique extra Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. o.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

*Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, VOCIS URBIS possessorem et administratorem  
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA*

## **Subnotatio fieri potest:**

<b>IN ITALIA</b>	<b>IN ANGLIA</b>	<b>IN STATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.</b>	<b>IN CANADA ET NEWFOUNDLAND</b>
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.	Apud BURNS AND OATES	Apud COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.	
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.	LONDON W. - 28, Orchard Street.	NEW YORK, 143 w 95th St.	NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.
<b>IN BELGICA</b>	<b>IN GALLIA</b>		<b>IN HUNGARIA</b>
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.	LUGDUNI	LUTETIAE PARISIORUM	Apud C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.	LIBRAIRIE VIC ET AMAT CHARLES AMAT SUCC.	Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.	
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.	Rue Victor Hugo, 5	Rue Cassette, 11.	BUDAPEST, Palais du Théâtre National,

RERUM INDEX

LEONI XIII PONTIFICI MAXIMO . . . . .	.....	C. De Angelis.
CHRISTOPHORI COLUMBI UBI CINERES . . . . .	.....	A. Galli.
FELIX FAURE . . . . .	.....	Eucalyptus.
GALLORUM REIPUBLICAE PRAESIDES SUMMI . . . . .	.....	Laelius.
SCALAE SANCTAE . . . . .	.....	Franc. X. Reuss.
DE POPULARI CIVITATE DEQUE PECUNIARUM RATIONE IN EA . . . . .	.....	B. Nelli.
« MONDRAGONE » . . . . .	.....	Titus.
« INTELLECTUALES » QUI DICUNTUR . . . . .	.....	D. Tamilia.
MINUCIANA - Comparatio Tertulliani et Minucii . . . . .	.....	F. Ramorino.
AMPHITHEATRUM FLAVIUM IN PRISTINAM FORMAM RESTITUTUM . . . . .	.....	I. Cascioli.
EX GERMANIA - De commentariis et de duobus nunc in Germania potioribus.		I. K.
ANTHEA ( <i>Eamus ad Ipsum</i> ) . . . . .	.....	P. Angelini.
ANTIQUUS CRINUM CULTUS ET FOCUS MULIERUM GRAECARUM . . . . .	.....	Hersilus.
DE CONCILIO EPISCOPORUM AMERICAЕ LATINAЕ ROMAM CONVOCATO . . . . .	.....	Marius.
IN MEMORIAM . . . . .	.....	C.
DE MIRABILI DOMORUM GENERE IN URBE NEO-EBORACO. . . . .	.....	G. P.
FRUSTULA . . . . .	.....	Forfex.
ANNALES . . . . .	.....	Egnatius.
AENIGMATA . . . . .	.....	X.

*In secunda operculi pagina.*

VARIA: Novus num index? - Columbae et pipiones in famulatu medicorum - Perniciosi aëris  
medicina - Navitia nosocomiaca - Idololatri adhuc in Europa!... - Ioci - Anarchia - Libri  
recens prohibiti

ERISTULARIUM COMMERCII = A secretis

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCC XCIX

## \* VARIA \*

### Novus num index?

Haec fuit interrogatio mihi, quae subdolumenti.

Doctor physicus Béle (animadverte nominis ironiam, immo antilogiam!), innumeris experimentis praehabitis, in hanc devenit sententiam: *Unicuique hominum proprius est odor.* Nares igitur excolens eo pervenit, ut odore hominem ab homine distinguat; idque exploratum est, rem faciente quodam doctoris amico, quem Béte ad hoc eruditus. Is, vel intervallo, prohibitis oculis a visu gravi zona, dignoscebat, et nomine suo quemque notabat. Hic autem oder dividitur ita per gentem, et familias, et homines, ut per maximas, minores et minimas differentias accipiatur ac dispensatur.

Quid plura? Suo quaque ars, officium, peculiaria hominis vitia, virtutes, habitus odore noscuntur.

En; politici scrutatores habent quo exerceantur; habent et iudices inquirentes quadam crimina!

Nunc illud: non bene oles!, a metaphora recessisse credemus.

\*

### Columbae et pipiones in famulatu medicorum.

Doctor medicus Haney - inter Scotos - quum latissime medicinam faciat, ac difficillime aegrotis praesto esse possit, opera sua compotes columbos fecit. Summo egrediens mane visurus aegrotos, aves huiusmodi secum plures adducit. Infirmo perspecto et *diagnosi* facta, idest cognito morbo, pipionem ferentem praecpta medica et praescripta ad pharmacopolem dimittit. Levioribus pharmaciis traditis, pipio reddit ad aegrotum et fert; sin graviora sint, tantum, quae illico ad momentum necessaria sint, adducit, cetera comprehendit medici, vel pharmacopole domesticus.

Detenus autem apud aegrotum columbus, si quid periculi impedit, emititur statim, rapiendoque volatu, medico, qui in speculis est expectans, annunciat quo sit in praesentiarum eundum.

O belle factum, atque ingeniose!

\*

### Perniciosi aëris medicina.

Americanae regiones ad sanandam putreoscentem paludibus humum, unde pestilens aer, et squalores et mors late bacchantes, arborem

invexere, cui nomem *Thuia Occidentalis*. Semel solo inserta, haeret fidelis, et brevi adolescit, apicem efferves inter triginta a pede metra, truncus inter metrum in circuitu ad basim. Nihil huic de aëris temperie; torridae regiones et gelidae aequae pariter huic ac temperatae. Ligni usus ad innumera patet, quia solidus gaudet fibris, iisdemque idoneis quibuslibet faciundis, ferro, igni, opifici libenter obtemperantibus.

\*

### Navigia nosocomiaca.

Benefica quedam Societas primum in Anglia (anno 1877) orta est, quae navigium instituit, quo demigrantes ad punctionem in Mare Noricum, et apud Labrador, si aegroti, exciperentur. Auctum opus anno 1884, *Mission to the deep sea Fischermann*. Mox Gallia institutum beneficium sequuta est, et anno 1895 Societatem ad bonum piscatorum tulit, *Société des ouvriers de mer*. Nunc viginti et ultra magnis navibus utitur. haec *Charitatis classis universa*, quae collectis viget oblationibus, et diu vigeat, atque augeatur!

\*

### Idololatri adhuc in Europa!...

Qui pagum *Malmysham* in praefectura *Vialka* incolunt, populi sub Moschi Caesaris potestate, Deos colunt adhuc atavis suis venerabiles olim. Gens haec execrabilis aras nuper humano cruore respersit, effero ritu prisco rata conciliare sibi Immortales. Proh porphyreticum genus, quod urbanitas et charitas tot saeculis molire, aut saltem ad instar hominum dolare non potuit!

\*

### Ioci.

Caius Caligula imperator equum suum pulcherrimum ad consulatum evexit, palatum fecit, servos tribuit, seque in consulatu collegam dcrevit.

Romanum quemdam sciscitatus quid de consulibus Roma sentiret, hoc responsum accepit: « *Duplex, Cai, est in Urbe sententia. Sunt qui credunt omnia pessima futura, nam nihil boni sperandum est a demente et a bestia; sunt contra qui prospira omniaominantur; nam si qua mala consul molitatur in cives, consul alter nunquam sententiam obsignabit et leges.* »

Augustus invitatus ad coenam nec sumptuosam, nec lautam, et vix idoneam fami sedandae,

postquam absolutum est exiguum convivium amphitryoni dixit: « Nesciebam me tibi adeo amicum ». Tum ille respondit: « Luculliana coenae, quibus uteris, imperator, memoria decident; haec autem in memoria erit diu ».

Roganti utrum in caelo de facie amicos recognoscere possit necne, respondit minister illustris: « Num putas nos ibi stultiores futuros? »

### Anarchia.

*Pestis ista furialis,  
Ictu caeco quae mortalis  
Hominumque feminarum,  
Puerorum, puellarum  
Caedem petit temere,  
Quae nec parcit senectuti  
Nec beatae iuventuti,  
Quae nec regem nec reginam  
Amat, sed omnium ruinam,  
Anarchia pereat!*

D. MACRAE.

### Libri recens prohibiti.

Sacrae Indicis Congregationis decreto, die 15 mensis decembris facto ac die 24 mensis februarii perulgato, hi damnati sunt libri:

*Katholische Dogmatik*, in sechs Büchern, von Herman Schell, Doktor der Theologie und Philosophie, Professor der Apologetik an der Universität Würzburg. Paderborn, Ferdinand Schöningh, 1889-1893.

*Die göttliche Wahrheit des Christentums*, in vier Büchern, von Dr. Herman Schell, Professor der Apologetik an der Universität Würzburg. Paderborn, Ferdinand Schöningh, 1895-1896.

*Der Katholicismus als Prinzip des Fortschritts*, von Dr. Herman Schell, Professor der Apologetik und derzeitigem Rektor der Universität Würzburg. Würzburg, Andreas Göbel, 1897.

*Die neue Zeit und der alte Glaube*. Eine culturgeschichtliche Studie von Dr. Herman Schell, Professor der Apologetik an der Universität Würzburg. Würzburg, Andreas Göbel, 1898.

*Duggan Iacobus, auctor operis, cui titulus Steps towards Reunion, prohib. decr. 1 sept. 1898, et laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

*Zurcher Georgius, auctor operis, cui titulus Monks and their decline, prohib. decr. 1 sept. 1898, et laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.*

## EPISTULARUM COMMERCIIUM

Cl. U. H. - Ariminum. - Ad certamen litterarium, quod kalendis ianuariis *Vox Urbis* propositum, omnes socii admitti poterunt. Lege, quaequo, leges in illo numero statutas: duo tantum erunt praemia: nummus aureus et argenteus. Occasione autem arrepta, nobis licet gratias singulares illis agere, qui ob hanc propositam palaestram multas laudes *Voci Urbis* tribuerunt, eosque enixe precari ut et ipsi in hoc descendant certamen et alios ut idem faciant hortentur.

Cl. E. d. I. - Liburnum. - Carmina quae misisti non iniucunda nobis videntur; quare, si spatium permiserit, edentur.

Cl. F. M. - Perusiam. - Epigramma est incomptum, ieunum, pene dixerim absurdum; ex quo clare patet primoribus labris tantum te attigisse litteras. Omne igitur ad eas studium conferas opus est; Vergilium imprimis debes et Ciceronem nocturna versare manu, versare diurna, si quid scribere cupis, isto athenaeo et nomine tuo non indignum.

Cl. Th. K. - Moscam. - Vera est omnium aenigmatum explicatio, et venusti et numerosi versus, quibus eam inclusisti. Aenigma autem, quod tibi libuit proponere, edi non poterit nisi prius eius explicationem misseris.

Cl. W. Fr. - Vindobonam. - Quam promisisti epistulam vehementer exspectamus. Brevis longane sit, modo venusta, varia, iucunda, nihil refert.

Cl. F. L. - Kwilzen in Posnania. - Antequam duo statuti menses praetereant, aenigmatum interpretatio ad *Vocis Urbis* moderatorem estmittenda. Hoc socios omnes monitos volumus, ut eam paulo celerius mittant, si de praemio proposito concertare nomenque suum editum videre cupiunt. Tuam interpretationem sero accepimus.

A SECRETIS.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:	BIS IN MENSE PRODIT	POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
In Italia . . . . . Lib. I <sup>o</sup> Ubique extra . . . . . Lib. I <sup>5</sup> , M. I <sup>2</sup> , Sch. I <sup>2</sup> , Doll. 3		ARISTIDES LEONORI, eques. ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## CHRISTOPHORI COLUMBI

### UBI CINERES

QUAM sancte Hispania consueisset Christophori Columbi memoriam colere, obscurum cum esset nulli, luculentius nuper factum est tumultuario illo bello, quo immanibus Americanorum opibus succubuit. Siquidem coacta inde demigrare et excedere, quo ipsa Columbus monstrante prima venerat, atque ubi diuturnum dominatum latissime tenuerat, eum voluit in digressu habere comitem, quem habuisset in accessu ducem. Reliquias enim immortalis viri, quae Havanae in aede cathedrali putabantur conditae, curae fuit Hispanis asportare domum; id quod perfecere non repugnantibus victoribus atque adeo admirantibus tantam animi altitudinem in hoste, cuius constantiam virtutemque experti abunde erant.

Itaque navigium, quo reduces vebabant cineres, Gades primo, tum Hispalim appulit, tonantibus in portu tormentis et a confertissimo populo significationibus summae expectationis exceptum. Omnino videbatur conscientia veteris gloriae recentium calamitatum lenire curas. Deinde solemnis instructa pompa feretrum in aedem principem illatum est ibique reconditum, quoad tanto dignum nomine monumentum publice exstruatur.

\*\*

Ecce autem totum id factum erroris coarguit vir gravissimus, magna que in hoc genere auctoritatis, Rochus Cocchia, archiepiscopus Teatinus; qui, vulgatis per ephemerides litteris, vehementer negat Columbi esse, quos Hispani transtulere cineres. Is enim, cui nemo ignorat anno MDCCCLXXVII feliciter contigisse ut Columbi sepulcrum inveniret, valde miratur faustissimi eventus memoriam nihil apud Hispanos visam esse valere. Se quoque ait sensisse olim, viri ossa Havanae requiescere; cum teneret, circiter ann. MDXL, Hispani Dominicopolim, concessu Caroli V, esse delata, et anno MDCCXCV, Gallis iure belli Dominicanam coloniam obtinentibus, noluisse Hispanos illa haereticis, uti appellabant, relinquare; verum curasse, ut inde dimota Havanae religiose compонerent. At illud animadvertis diligenter vult, in illa Havananam translatione non ita liquido constitisse de Columbianis reliquiis; unum pro certo habitum, in templo Dominicanico ad laevam presbyterii esse humatas; neque vero mirandum si duorum


saeclorum dimidiatus spatio ob varios multipliques casus ipsum tanti viri sepulcrum oblivio sensim obruisset. Itaque eam templi tentatam esse partem, ibique arcum plumbeam, corruptam vetustate, effossam cum nonnullis humanorum ossium fragmentis: haec pro reliquiis Columbi, temere ac nullo

nepos ex filio fuit, iniectam sibi cupiditatem accuratus pervestigandi, si forte quis alias de ea familia inibi iaceret. Plus autem multo se esse nactum, quam sperasset: offendisse enim ipsissimam arcam, in qua Christophori Columbi inclusum corpus clare admonebat titulus operculi. Locupletissimos adfuisse testes, qui viderint arcam erui atque aperiri; faustumque inventum legatis complurium civitatum deinceps esse probatum, sic ut nemo prudens alibi quam Dominicopoli iam quaerat Columbi cineres.

\*\*

Haec clarus antistes, studio veritatis obsecutus, censuit edicenda; quamquam generosae Hispanorum nationi, cui se in primis deditum profitetur, non parum molesta, tali praesertim tempore, fore intelligebat.

A. GALLI.



## FELIX FAURE

O grandaeve Pater, Leo, Pastor maxime, coeli  
Te Regina suo numine laeta sovet;  
Aethereis cui serta placent delecta rosetis  
Pene tua, voto supplice, culta manu.  
Ipsa tibi triplici cinxit diademate frontem  
Et Christo docilem creditit ipsa gregem.  
Ipsa tibi vitam seros provexit in annos,  
Terrarumque ingens te dedit esse decus.  
Sic tibi vivaci iuveniles corpore vires  
Actas insueta lege relapsa novet.  
Sic misera gentes ruituras clade superstes  
Auctor opis certae, spe meliore regas.  
Namque adflata tui sacri divinitus oris,  
Et languere gravi nescia Vox senio  
Una dat optatam vicit sperare salutem,  
Deictos tantis erigit una malis:  
Vox ergo doctura piae solatia pacis  
Atque immortalis iura tuenda Petri,  
Annis, quot duxti, totidem redeuntibus, hostes  
Terreat arcano Vox metuenda sono.  
Tuque venusta rosis, coelo descende, Leoni  
Praesens, augurio Virgo benigna favet.

C. DE ANGELIS.



prorsus indicio, accepta, atque pro talibus Havananam triumphi ritu deportata. Sed havanense monumentum, cuilibet recte consideranti suspectum, omni omnino fide carere debuisse affirmat, ex quo die sibi necopinanti verum ipsius sepulcrum fortuna obiecerit. Nam archiepiscopus cum esset Dominicopoli, suoque iussu instauraret templi maximi pavimentum, reperio loculo Ludovici Columbi, qui Christophori

in oculis animi sinceratatem, humanitatem et constantiam praefererebat. Hic adolescens latiores sectatus doctrinas Leoni Gambetta studuit, unius dominationi adversarius. Anno autem MDCCCLXX, patriae suae tot cladibus acceptis luctuosissimo, arma capere non dubitavit, et inter primos strenue belli adiit discrimina nec semel vita periclitatus. Opera eius magni pensa ad honoris gradus viam aperuit. In consilium

republicae regundae cooptatus, gravia munera natively adiit atque anno MDCCXCIV maritimis praefuit. In sequenti anno reipublicae praeses renuntiatus. Emicuit in tanto gerendo munere singularis in labore alacritas, iustitiae studium, in omnes comitas; et quamvis non sit inficiandum quod hic altiora non concupiverit, tamen in summo auctoritatis fastigio, quod modestus opifex insperato attigerat, mira moderatione usus est prudentiaque singulari. Imo visus est adolescentiae suae studia cohibere intentus animus ut patriae potius consuleret. Itaque quum decretum est ut veteres regiae familiae exsularent a Gallia, ipse votum suum negavit. Pari modo legatum apud Sanctam Sedem retinendum censuit, idque ut fieret quotannis obtinuit.

Magnae fuit ipsi gloriae foedus initum inter Galliam et potentem Russiarum imperatorem, quem etiam hospitem Lutetiae recepit. Item solidiora fecit amicitiae vincula cum exteris nationibus, foedus pro commercio cum Italia instauravit. Modestus in privata vita, in egenos prodigus, nihil ex tot munib; in domum suam intulit. Attamen extremo tempore contrariis eventibus anxie agitari coepit. Etenim propter Dreyfus iudicium adeo atrox tempestas coorta est, ut haec fortasse inopinati obitus non ultima inter causas exstiterit. Fuit igitur hic vir mire a natura ad virtutem confirmatus; utinam avitae religionis lumen retinuisse! Verum quamquam tot fluctibus agitatus animus, eius recordationem penitus in corde insedisse ex eo coniici potest quod Le Gall, eiusdem praesidis a secretis, luculenter testatus est, illum nimurum adhuc sui compotem sacerdos ut arcessiretur bis rogavisse.

Faxit misericors Deus ut eius spiritus aeterna luce fruatur et totius Galliae vota exaudiat, quae dum Felicis Faure obitum deflet, similem saltem successorem exposcit atque obsecrat.

EUCALYPTUS.

#### GALLORUM REIPUBLICAE PRAESIDES SUMMI

In Gallia ab instaurata anno 1871 republica, septem praesides summi creati fuerunt, quorum ex ordine haec sunt nomina:

ADULPHUS THIERS. Massiliae anno 1797 die 16 mensis augusti natus, quum non mediocrem sibi comparavisset famam historias praesertim conscribens, ad rempublicam se contulit eique diligentissime servivit. Ab imperiali dominatione in libertatem vindicata republica, principem locum die 17 mensis februarii, anno 1871 obtinuit eodemque anno die 30 mensis augusti praesidis summi nomen sibi sumpsit. Ipse deinde sua sponte, quum duos annos, tres menses septemque dies gubernacula tractasset, a magistratu se abdicavit.

PATRICIUS MAC-MAHON, natus Sully die 13 mensis iulii, anno 1808. Vir militaris, per gradus ad summos militiae honores ascendit, multisque bellis magna cum laude interfuit. Die 24 mensis maii anno 1873 suffragiis longe plurimis electus est praeses summus. Quum autem ei maior pars adversaretur, quod inclinatior videretur ad unius dominatum, abdicavit die 30 mensis ianuarii anno 1879. Rempublicam rexit quinque annos, octo menses et sex dies.

IULIUS GRÉVY, natus Mont-sous-Vaudrey die 15 mensis augusti, anno 1813, iurisperitus. Electus est die 30 mensis ianuarii anno 1879, 569 suffragiis faventibus, 99 tantum contrariis, ac confirmatus est die 28 mensis decembris, anno 1883, 457 suffragiis faventibus, 68 contrariis. At utraque creatione, a dextra suffragiis se abstinuerunt. Die 3<sup>rd</sup> mensis decembris vero, anno 1887, quum eius gener Wilson in signis equestribus dandis animi venalis et corruptionis accusatus esset, magistratum supremum abdicavit. Rempublicam rexit annos septem, menses decem, dies tres.

SADI CARNOT, natus Augutoriti die 11 mensis augusti, anno 1837. Electus est die 3<sup>rd</sup> mensis decembris, anno 1887, ac nefanda caede interfectus est Lugduni die 24 mensis iunii, anno 1894, a Caserio, homine scelestissimo, qui omnia divina et humana iura nihili faciens, se mira impudentia anarchiae addictum professus est. Rempublicam rexit sex annos, sex menses et duodecim dies.

CASIMIRUS PERIER. Natus Parisiis die 8 mensis novembris, anno 1847; laurea doctoralis donatus ac litteris non mediocriter imbutus, praeses summus electus est die 27 mensis iunii, anno 1894, 451 suffragiis faventibus, 195 contrariis. Omnibus mirantibus, die 15 mensis ianuarii anno 1895 abdicavit, quum rempublicam rexisset menses sex et duodecim dies.

FELIX FAURE. Natus Parisiis humili loco die 30 ianuarii anno 1841, coriorum et navium confector. Electus die 17 mensis ianuarii, anno 1895; die 16 mensis februarii anno 1899 apoplexi arreptus de improviso periit. Rempublicam rexit annos quattuor et menses novem.

AEMILIUS LOUBET, de quo plura in Annalibus.

LAELIUS.

#### SCALAE SANCTAE

Rome quisquis ades, civis et avena,  
Clarum, post Cineres, vise sacrarium,  
Templi quod Laterani  
Molem prospicit inclytam.

Scalae marmoreae stant ibi candiae,  
Quas Iesus, adiens limina Pontii,  
Trivit, purpureaque  
Unda, sauciis, imbuīt.

Illas e Solymis, frons ubi Caesaram  
Coepit ferre crucem, iusserat avehi  
Caesar, proque tropbaeo  
His iam sedibus inseri.

Huc, ut quarta subit sextaque feria,  
Longo turba frequens ordine confluit;  
Inceditque modesta,  
Dum coelestia cogitat.

Volvit mente necem, quam tulit asperam  
Christus, nostra salus, nostra redemptio;  
Quae cum volvit, amare  
Tantum cogitur Obsidem.

Nec plebem dubitat vir generosior,  
Aut matrona sequi; serica lineam  
Tangit vestis: amice  
Templum dissita copulat.

Huc et mysta minor pergit, et infula  
Cinctus; teque Pium (1) scandere perlitas  
Divo sanguine Scalas  
Hora vidimus anxia.

O quae turba Gradus occupat undique  
Ter denos! genibus, per reverentiam,  
Itur; quaque rubescit  
Marmor, fervet ab osculis.

Sic tu perpetua, Christe, potentia  
Ad te nostra trahis pectora! Corruunt  
Urbes, regna, dynastae:  
At tu vivis et imperas.

Vivis, dum redeunt saecula vices,  
Ex quo te tumulo Pontius intulit;  
Vives semper, Averni  
Terror, gloria Coelitum.

P. FRANC. X. REUSS.

(1) Pius IX, die xix septembris a. MDCCCLXX, Deum deprecatus, ad Scalas Sanctas accessit.

#### DE POPULARI CIVITATE DEQUE PECUNIARUM RATIONE IN EA

Q uod summa auctoritate viri brevi abhinc tempore in civitatem popularem acrius invehantur omnium animos commovet. In qua enim civitate potestas populi summa esset, eam sive optimatum sive singulorum dominati præstare multo arbitramur: minima impensae, tributa exigua, sine exercitu, sine classe, ius suffragiis omnibus impertitum. At, non est inficiandum, specie quadam prosperitatis fuimus magnopere decepti. Rem primus monuit Odvardus Lechy, vir ad contionem britannicam legatus, qui in libro de populari civitate ac de libertate scripto diligenter non solum homines populares non defendit, verum etiam iis tribuit magnum aes alienum, sublatam fidem, repentinis imperiorum mutationes.

Hunc est paulo post homo helveticus secutus, Numa Droz, qui, licet ex parte, idem tamen pertractavit argumentum ea scientia ac prudentia ut in viro olim Helvetiae moderatore sapientissimo.

Nuperrime vero accepimus exstissem in Gallia Béranger, virum in primis fortissimum, qui saluti consulens suorum civium eorumque invidiam non curans, praecipuum causam quod duriore nos fortuna conflictemur, innumerabilem esse ac pene infinitam ministeriorum multitudinem dicat.

Equidem cum legimus an. MDCCXCVI fuisse in Gallia quadringenta sedecim milia hominum a munib; publicis, in colonia autem quadam gallica cives quindecim patriae negotia diu procuravisse, uno nemine colono; cum haec, inquam, legimus, tunc oleum et operam perdere censemus Vilfridum Fouillé, qui hominum popularium coepit educationi praeesse, multa hac de re disserens in *Revue Bleue*.

Quod ad rationem pecuniarum pertinet, singulatim attingit Lecky et res nummarias Americae totiusque fere Europæ civitatum ordine ac diligenter ita disposuit, ut uno in conspectu tabulas accepti et expensi videoas. Nam si quis has penitus perspiciat, demirabitur profecto Galliam, Helvetiam, Italiam, provincias Mexicanas, foederatas Americae civitates in dies aere alieno se obstrinxisse. Quae cum amplissima libertate fruerentur suffragiis, tum ut opibus et rebus prosperis florerent, aliquot post annos, fore putabantur.

Nunc querunt nonnulli utrum ea forma imperii, in qua praedicabant impensas non faciendas, per se sumptuosissima evaserit, an aliae sint externae causae, quibus sublati, optimam quisque iudicet. Certe si civitas popularis ita contineretur iure suffragii, ut nisi haberent universi, interiret ipsa, forsitan esset repudianda.

In hoc enim convenient plerique rationem illam magistratus creandi, quae nostra aetate viget, id maxime efficere ut homines vel ad auram popularem captandam quo in concessionem elegantur, vel ad eamdem obtinendam, cum fuerint tandem electi, plebem deliniant. Proinde leges de impensis coangustant, proferunt, rogant, rescindunt eisque, ut Svetoniano utar verbo, abutuntur ad quaestum, modo ne artifices nihil agant. Dici vix potest quam grandis pecunia collocetur quotannis in operibus nec ad vires reipublicae neque ad commune bonum accommodatis. Quibus si accendant sumptus in magistratus et imperia effusi, nemo non videt hac praesertim de causa resplicas aere alieno esse obrutas.

Verum et condicio illa, quam supra dixi, non ea est quae sola et prima populares constitut civitates et alia suffragiorum ratione, qua imperium capessent viri boni, eiusdem sint orbati muneribus mali, legum

in posterum c parcent.

Trepident i ceteri si qui sin Quid tum pro omnia funditus virtutes hominu quasi ad novas putemus.

Diu multum cabulum tur legibus ferendis, vocatum quo schiis aquabuntur. Vallenclausam, Saticulana provinciam amoenissimum pr

Villam ampli longe lateque Pra Urbem et ostia ti Marcus Altemps pa aedificanda villa m pontifici Gregorio loca amoena visen aliquod assurgat! tifex delectatus, ibi quod item fecit C magnificentissime anno se conferens. nus VIII, donec ille Pontificum rus

Villa anno 161 comparata, hic illi a quibus nomen ad derunt temporibus aliiquid etiam grav depopulationes.

Princeps Marcu vit ac denique ann cessit, ut ibi litteris imbuierent in gy anno 1865, auspici stavit adventu.

#### "INTELLECT"

Novum quidem sed nullum les intellectuels et cbaricum dixi verbu nullo modo possit c bula, uti intelligentia quos significari et cstrat. Nemo medicina ponenda nova novi, 3) sint; sed ho

Et nova factaque Graeco fonte ca ut est apud Hora contingit nova ver nulla grammaticae cconfitendum est ne pariunt, sed magis ardore aliquo usu magno in honore symbolistae, decade maxime pervulgata

TE  
IN EA  
ab hinc tem-  
invehantur  
civitate po-  
natum sive  
arbitramur:  
ercurt, sine  
At, non est  
fuiimus ma-  
uardus Le-  
tus, qui in  
scripto di-  
on defendit,  
m, sublatam  
s.  
us secutus,  
men pertra-  
entia ut in  
ssimo.  
e in Gallia  
, qui saluti  
vidiam non  
re nos for-  
pene infi-  
vi fuisse in  
num a mu-  
am gallica  
ocuravisse,  
gimus, tunc  
dum Fouil-  
educationi  
revue Bleue.  
net, singul-  
Americae  
ne ac dili-  
tu tabulas  
as penitus  
Hélvetiam,  
Americae  
Quae cum  
rum ut op-  
post annos,  
na imperii,  
las, per se  
rnae caus-  
acet. Certe  
ffragii, ut  
sitan esset  
nem illam  
vigeret, id  
popularem  
el ad eam-  
i, plebem  
ngustant,  
vetoniano  
e artifices  
s pecunia  
vires rei-  
modatis.  
s et im-  
ertim de  
i, non ea  
civitates  
capessent  
li, legum

in posterum conditores, credo, civium egestati parcent.

Trepident igitur Oduardus Lecky, Numa Droz, ceteri si qui sint qui rem verbis exasperare cupiant. Quid tum propterea? an colligere hinc possunt omnia funditus interisse? Hoc tantum dico: nobis virtutes hominum esse prius spectandas omnes quam quasi ad novas tabulas populi civitatem pervenisse putemus.

B. NELL.

### MONDRAGONE

**D**iu multumque hisce mensibus hoc factatum est vocabulum tum in diariis, tum in Italorum contione legibus ferendis, ob decretum iam editum et postea revocatum quo scholae quae illic sunt cum regiis gymnasiis aequabantur. Huius nominis vicus est in Gallia apud Vallemclausam, itemque aliquod Italiae municipium in Saticulana provincia; at illud, de quo loquimur, est rus amoenissimum prope Tusculum in Latio.

Villam amplissimam et magnificentissimam, quae longe lateque Praenestinos colles, agrum romanum et Urbem et ostia tiberina et mare prospicit, anno 1572-73 Marcus Atempus pater purpuratus extruxit. Ille enim in ea aedificanda villa maximam voluit obice laetitiam summo pontifici Gregorio XIII inopinanti, qui anno superiori ea loca amoena visens, admiratione motus: Utinam hic rus aliquod assurgat! exclamaverat. Magnopere igitur Pontifex delectatus, ibi rusticationis caussa diu moratus est; quod item fecit Clemens VIII. Paulus V autem villam magnificentissime amplificatam exornavit, eo plures in anno se conferens. Eam quoque in deliciis habuit Urbanus VIII, donec ille in Castrum Gandulphorum autumnalem Pontificum rusticationem transtulit.

Villa anno 1613 a nobilissima Burghesiorum familia comparata, hic illuc passim draconibus condecorata est, a quibus nomen accepit. Multa tamen ei adversa acciderunt temporibus Napoleonis Gallorum imperatoris, et aliquid etiam gravius anno 1821 ob exercitus austriaci depopulationes.

Princeps Marcus Antonius Burghesius illam restauravit ac denique anno 1864 patribus Societatis Iesu concessit, ut ibi litteris, pietate et bonis artibus adolescentes imbuenterentur in gymnasio, quod, postridie kalendas febr. anno 1865 auspicatum, Pius IX, eodem anno, suo hones-tavat adventu.

TITUS.

### "INTELLECTUALES,, QUI DICUNTUR

**N**ovum quidem et barbaricum hoc verbum est; sed nullum aliud invenimus par huic gallico *les intellectuels* et quod idem valeret. Novum et barbaricum dixi verbum; nam, cum ad homines referri nullo modo possit (sunt enim propria et usitata vocabula, ut *intellegentes*, *perspicaces*, aliaque multa), eos, quos significari et declarari volumus, minime demonstrat. Nemo mediocriter doctus dubitat, quin « *impone nova novis rebus nomina* » (Cic. *De Fin.* 3, 1, 3) sint; sed hoc in genere certae sunt regulae,

*Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si Graeco fonte cadant parce detorta,*

ut est apud Horatium (*Epist.* II, 3, 52). Quare si contingit nova verba proferre ulla sine necessitate et nulla grammatica et communis usus ratione adhibita, confitendum est non solum animos eorum, qui illa parciunt, sed magis eorum qui temere et non sine ardore aliquo usu recipiunt, perturbatos esse. Olim magno in honore erant haec nomina: *parnassiani*, *symbolatae*, *decadentes*; at merito cecidere; nunc maxime pervulgatum est illud *intellectualis* vel potius

gallice *les intellectuels*. Atque haec quidem de rei nomine. De ipsa autem re difficile dictu est paucis verbis qui proprie *intellectualis* dicantur. Neque enim ita appellantur qui litteris operam dant, neque qui bonis artibus, neque qui philosophiae; nam his omnibus sunt propria et certa quasi nomina. Qui denique illi sunt? Quo facilis definiantur dicendum est primum, quid commune inter sese habeant, deinde quo a ceteris mortalibus different.

*Intellectualis* (1) igitur, praeter Hispaniam et Moscoviam (quod mirum est), ubique sunt, in Gallia, in Italia, in Germania, in Helvetia, iidemque inter illos, qui aliquid studii et opera ad vitae societatem et cultum conferre se praedicant, uti philosophos, poetas, artifices et ephemeridum scriptores, reperiuntur. Atque hoc commune inter se habent, quod a sua quiske recta via aliquantum deflexit propterea, quod vehementer arripere conatus est, nunquam est consecutus. Il italice optime *spostati* appellantur, gallice *déclassés*. Quare multos repere, qui a vera dicens religione, nullis vinculis impediti ullius certae religionis, suo utuntur iudicio; multos invenies a reipublicae administratione deflexos, qui a publicis negotiis exclusi aut temporibus aut electorum voluntate, summa vi a republica regenda summos civitatis curatores depellere student. Quot autem sunt qui mala carmina fundentes, sibi tamen sumunt, ut praete-reuntium digito monstrantur? quot reperiuntur qui gloriam sibi comparant turpissimis scriptis, quae ad animos effeminandos plurimum valent? In illis omnibus nulla certa doctrina est, nulla vera eloquentia, nulla sana ars, sed potius nescio quid circulatoriae iactationis et petulantiae; nam iudicij sanitatem non habent, non habent speciem pulchritudinis eximiam quandam; venustatem, convenientiam partium et quae sunt his similia non bene sentiunt. Confitentur autem et praedicant se vehementer diligere virtutem, leges, homines; sed omnia ad sua referunt comoda. Huc adde, quod eo appellantur nomine, quod ipsi assumpserunt. Quae omnia si perpendaris, nihil esse tam dissimile, quam *intellectualis* illi qui dicuntur, hominibus vere intelligentibus et doctis, qui aut de republica, aut de religione, aut de litteris et bonis artibus mirifice meriti summo honore habentur, facile iudicabis. Illi sunt leves, impudentes, superbi; praedicari se volunt et nominari; contemnunt omnes, qui in sua verba non furant; iidem gloriae - si qua est gloria - facturam ne minimam quidem facere velent, ne patria quidem postulante. Contra homines qui intellegentes et docti proprie dici possunt, sua doctrina haud effrenati, minime gloriantur, fugiuntque superbiam et arrogiam. In his praestantissimi philosophi, poetae, physici, graves et severi homines in republica exercitati, magnum studium multamque operam, nulla fere adhibita intermissione, in veri investigationem conferunt; atque tum incredibili quadam voluptate perfundi se sentiunt, cum aliquid pulcri, aliquid veri, in medium proferre possunt. Quod iis, qui se ipsos *intellectualis* appellant, nunquam vel raro contigit.

Ceterum id hominum genus, praeter nomen, haud novum est; nihil enim - ut est in pervulgato illo proverbio - nihil sub sole novi. Nam et sophistae, quibus Socrates sese acerrime opposuit, et Athenienses illi, in quos Demosthenes (cf. *Ph.* I, 49) gravissimis verbis invehitur (ii enim, cum Philippus, Macedonum rex, in Graeciam contenderet, falsis divulgandis rumoribus patriam prodebant) et qui (ne plures commorem) saeculo superiore labente in Gallia suis

(1) Vide commentarium *Revue du monde catholique*, kal. Ianuarii 1899, pag. 110-116.

scriptis civium animos vehementer perturbantes omnia ad extremum verterunt, nonne cum illis qui barbarico nomine, ut supra diximus, *intellectualis* appellantur, sunt comparandi?

DONATUS TAMILIA.

### MINUCIANA

Comparatio Tertulliani et Minucii.

**S**i quis diligenter Tertulliani *Apologeticum* cum Octavio Minucii comparet, hic παραλλήλως, ut aiunt, locos multo plures inveniet, quam qui aut ab Eberto (1868) aut a Nordenio (1897) prolati sunt; tantum ut quin alter ab altero pendeat nemini in dubium cadere possit. Id unice in controversia ponit, ut prior scripserit alterique exemplar scribendi praebuerit.

Quae ut optime solvatur quaestio, consilium est mihi eos omnes qui haec legent sententiam rogare, ut suffragiis numeratis pateat quot eorum Eberti Nordenioque opinioni faveant, quot adversentur.

*Lectores igitur totius orbis etiam atque etiam pre-cor, ut nihili morem gerere velint, et perfectis locis Tertullianeis et Minucianis de quibus Vox Urbis hoc et insequentibus numeris sermonem instituet, brevibus verbis me (FLORENTIAE, via Ventisette Aprile, 7) sententiae suae certiore faciant, utrum sibi videatur Minucius Tertulliana in epitomen redigisse, an Tertullianus Minuciana amplificasse.*

Duodecim capitibus contineri potest comparatio Tertulliani et Minucii; quorum tria priora tantum hoc numero exponentur, reliquis in alium numerum dilatis.

¶

*Caput primum.* Initio operis sui Tertullianus, sermonem convertens ad Romani imperii antistites, loquitur de Christianorum causa quae id unum gestit ne ignorata damnetur; demonstrat iniquum esse odium erga nomen Christianorum, neque ignorantiam illud excusat, sed potius onerare; ethnicis exprobrat quod etsi videant multos ad christianum nomen transgredi, tamen nullam habeant curam cognoscendi quid ea res sit, sed malint nescire quia iam oderint; quod si malum esset Christi doctrina, naturalia mali haberet, timorem, pudorem, tergiversationem, poenitentiam, quod longius est. Addit perversam esse rationem qua in Christianos quaeritur; nam primum non concedi eis eandem defendendi facultatem quae ceteris reis datur, deinde neglecta penitus criminis cognitione, ab illis nil aliud exspectari nisi nominis confessionem; denique cum ceteris negantibus tormenta adhibeantur ad confundendum, Christianos tormentis cogi de confessione decidere, ita ut veritatis extorquendae praesides de illis solis mendacium audire laborent.

Cum hoc Tertulliani *Apologeticum* proemio comparanda sunt quae Octavius inducit loquens capite 28 dialogi Minuciani. Nam daemonum natura et operibus expositis, qui sic occupant animos et obstruunt pectora, ut homines incipiunt christianos ante odisse quam nosse, ne cognitos aut imitari possint aut damnare non possint, pergit Octavius ostendere quam iniquum sit de incognitis et inexploratis iudicare; atque sese olim idem fecisse, idem exprobasse Christianis quod monstra colerent, infantes vorarent, convivia incesta miscerent, non intelligentem fabulas istas semper ventilari, nunquam probari; malum autem adeo non esse, ut Christianus reus nec erubesceret nec timeret, et id solum poeniteret quod non


ante fuisse. Memorat etiam Octavius quam perversa quaestio in Christianos fieret, quos confitentes torquerent ad negandum, ita ut non verum ex illis eruerent, sed ad mendacium cogerent.

Hic opportuna res esset ipsa verba Tertulliani et Minucii ita frontibus adversis ferre, ut quantum alter ab altero hauserit vel iactu oculorum pateret. Sed spatium non patitur. Adeat benignus lector liberos, perlegat utrumque locum, comparet, iudicet.

*Alterum caput* erit de conviciis et accusationibus quas ethnici in Christianos iactabant: initiari eos infantis caede et sanguine, ad epulas coire, post con-

ad naturam famae pertinent. Sume, queso, in manus Tertulliani opus, lege sis capitum septimi eam partem quae incipit verbis: « Natura famae omnibus nota est... », videbis quam accurate, quam multis verbis, quam vividis coloribus huius rei imaginem pinxerit noster. Minucius haec omnia brevissime attingit sub finem capituli octavi et vigesimi, his verbis: « Nec tamen mirum (daemones fictis fabulis referuisse aures gentium), quoniam fama, quae semper insparsis mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur; sic est negotium daemonum; ab ipsis enim rumor falsus et seritur et sovetur ». Animadverte, Minuciana verba « Fama ostensa veritate consumitur », tum solum apte explanari cum conferantur Tertulliane: « Quid

provocat ad ipsam ethnicorum conscientiam quam ait negare non posse, omnes Deos gentium homines fuisse; cuius rei testimonium perhibere et civitates in quibus nati sunt, et regiones in quibus aliquid operati sunt ubique eorum sepultra ostenduntur. Id confirmat Tertullianus exemplo Saturni, qui tum a scriptoribus, velut Diodoro et Thallo graecis, Cassio, Cornelio romanis, ut homo promulgatus est, tum rerum argumentis convincitur, cum in Italiam venerit, a Iano exceptus, Saturnium appellaverit montem quem incoluit, et totam Italianam Saturniam cognominaverit. Homo igitur Saturnus, et utique ex homine; quod si filius Coeli et Terrae dictus est, id ex consuetudine humana factum, qua ignoti vel ex



Amphitheatrum Flavium in pristinam formam restitutum.

vivium everso conscientia lumina incesta corpora misere. De huiusmodi accusationibus loquitur Tertullianus capite *Apologeticu* septimo, octavo et nono, Minucius trigesimo et trigesimo primo, saepe iisdem verbis. Ad huiusmodi accusations refutandas tria consideranda proponit Tertullianus: primo, ne unum quidem, neque de ipsis Christianis, neque de extraneis existisse, qui infanticidia et incesta proderet; has calumnias famae acceptas esse referendas, cuius natura est veritatem mendaciis inquinare detrahendo, adiiciendo, demutando; deinde demonstrat quan parum fide digna per se sint infanticidii et incesti crimina; denique monet ethnicos potius quam Christianos huiusmodi criminum reos fuisse, cum humana sacrificia passim fieri paterentur, cum natos saepe enecarent, cum humanum sanguinem et in sacris Bellonae et alias potui darent, incesta omnis generis vel scientes vel nescientes admitterent. Horum argumentorum primum breviter tangit Minucius capite dialogi sui 28, alterum initio capituli trigesimi, tertium fusius disserit eodem capite et in sequenti. Iuvabit prae ceteris, acute lector, ut compares ea quae

quod ea illi (famae) condicio est, ut non nisi cum mentitur perseveret et tamdiu vivit quamdiu non probat, siquidem ubi probavit cessat esse et quasi officio nuntiandi functa rem tradit, et exinde res tenetur, res nominatur ». Nec te fugiant, lector, inter ceteras collatae locutiones, quales sunt:

[*Apologet. 7*]  
... eversores lumen canes

[*Ibid. 8*]  
... excipe rudem sanguinem

[*Ibid. 8*]  
... Qui ista credis de homine potes  
et facere

[*Ost. 9*]  
... sic everso et extincto conscientia lu-  
mine

[*Ibid. 30, 1*]  
... ut quisquam illum rudem san-  
guinem novelli et vix dum hominis  
caedat, fundat, exhaustat.

[*Ibid. 30, 1*]  
... nemo hoc potest credere nisi  
qui possit audere, etc., etc.

*Tertium caput.* Cum arguerentur Christiani quod Deos non colerent et a sacrificiis abstinerent, defendit eos Tertullianus *Apologet. 10*, ostendens Christianos tunc Deos gentium colere desiisse cum illos non esse cognovissent; quam rem probaturus, appellat ille et

inopinato adparentes de coelo supervenisse dicuntur. Eadem de Saturno homine exponit Minucius, 21, 48; idem auctores laudantur, eadem res a Saturno gestae memorantur, ut quisque sibi facile persuadebit qui utrumque locum vel leviter attingat. Hic monendi sunt lectores mei, huc pertinere praecipuum argumentum, quo cum Eberto utuntur ii omnes qui Tertullianum post Minucium scripsisse arbitrantur. Cum enim Minucius scribat: « scit hoc Nepos et Cassius in historia », Tertullianus ineptis additamentis laudet Cassium Severum et Cornelium Nepotem, aiunt posteriore aetate esse eum qui Cassium Heminam rerum scriptorem cum Cassio Severo oratore confuderit. Nemo non videt etiam contraria rationem veram esse posse; non enim est absurdum suspicari Minucium cum Cassium Severum legisset, Cassium tantum memorasse, vel quod errorem ipse detexisset vel ex aliis fontibus sumpta notitia. Conferendum Lactantius qui in primo libro *Divinarum Institutionum*, capite 13°, de eadem re loquens, Graecorum pariter Diodorum et Thallum auctores citat, Latinorum Nepotem et Cassium et

Varronem. Quod  
tinet, haec pra-

[*Tert. Apolog.*]  
... Ab ipso (Saturno)  
bulae et imagine signa  
et inde aero a praeside

[*Ibid. fin.*]  
... deinceps totum gen-  
tam mortale quam semini-

[*Ibid. init.*]  
... Nunc ergo per sing-  
ram? ... Otiosum est et  
perseguiri...


Antequam hu-  
est animadver-  
cium, postquam  
veterum consuet-  
tem consecrandi  
prior fusius de-  
brevius 21, 9-12,  
parari possint.  
Reliqua comp-

AMPHIT  
IN PRISTINA

O MNIBUS datu-  
maximum,  
partim deletum in  
qua forma, quo on-

Amphitheatri  
erecti, quem ex pa-  
comportum est au-  
torem e gente Fl-  
qui et Capitolium  
vaque opera Roma

At opus, quod  
magnifice inchoave-



Felix Faure.



Aemilius Loubet.

Varronem. Quod ad singula verba et locutiones pertinet, haec praesertim comparare velim:

[Tert. *Apologet.* 10]

... Ab ipso (Saturno) primum tabulae et imagine signatus nummus et inde acriario praesidet

[Min. *Oet.* 21, 5]

... multa docuit ut Graculus et post litteras imprimere, nummos signare, instrumenta confidere.

[Ibid. fin.]

... deinceps totum generis examen ... Saturnum principem huius gentis quam seminis sui par.

[Ibid. 21, 4]

... Saturnum principem huius gentis et examini...

[Ibid. init.]

... Nunc ergo per singulos decur... ... otiosum est ire per singulos... ram? ... Otiosum est etiam singulos persequi...

[Ibid. 21, 9]

... Nunc ergo per singulos decur... ... otiosum est ire per singulos... ram? ... Otiosum est etiam singulos persequi...

Antequam huic tertio capiti finem faciamus, illud est animadvertisendum, tum Tertullianum, tum Minucium, postquam de Saturno et Iove locuti sunt, de veterum consuetudine homines quosdam post mortem consecrandi in universum verba facere; sed prior fusius de hac re agit capite undecimo, alter brevius 21, 9-12, nec ferme his locis sunt quae comparari possint.

Reliqua comparationis capita alias, si placet.

F. RAMORINO.

### AMPHITHEATRUM FLAVIUM IN PRISTINAM FORMAM RESTITUTUM

**O**MNIBUS datur Amphitheatrum Flavium omnium maximum, vel temporum vel hominum iniuria, partim deletum intueri; verum per pauci fortasse norunt qua forma, quo ornatu primitus effulserit.

Amphitheatri huius, eo in loco iuxta viam Sacram erecti, quem ex parte Aurea Neronis Domus occupaverat, compertum est auctorem extitisse Vespasianum imperatorem e gente Flaviorum, Reatinum municipio oriunda, qui et Capitolium incendio consumptum restituerat non vaque opera Romae perfecerat.

At opus, quod ille, anno LXXII post Christum natum, magnifice inchoaverat, Titus filius eius, amor ac deliciae

humani generis, magnificentius perfecte dedicavitque, splendidissimis indictis ludis ferarum et gladiatorium, anno LXXX.

Hic enim, teste Svetonio, « Amphitheatro dedicato thermisque juxta celeriter exstructis, munus edidit apparatus largissimumque: dedit et navale praelium in veteri naumachia; ibidem et gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum ».

Munus autem publicum seu gladiatoriis ludos dies centum perdurasse ferunt, ingenti Romanorum civium laetitia.

Amphitheatum igitur duobus constat una coniunctis theatris et quatuor ordinibus superpositis; primus ad basim doricus, secundus ionicus, tertius ac postremus, upturne leviores, corinthii. Fornices vero secundi ac tertii ordinis stantes undique ex marmore statuae exornabant, ut videtur est in nummis vetustioribus.

Aedificii summittatem ideo erectis trabibus aeneis circumseptam adspicimus quia his velarium magnum purpureum sustentabatur, quo, per classarios romanos, sive nimii solis radii sive pluviarum inclemencia arcerentur, ludis publicis adstante populo ad trecenta fere hominum millia super gradus praecinctiōnū seu cavearum.

Amphitheatum ex lapide tiburtino aedificatum est, quod imperatores romani post Titum urbisque consules plurimi, data opportunitate, restituendum exornandumque curarunt.

Aedificii formam, quam aere incisam sub oculis ponendam censuimus, eam esse constat, qua illud stabat, Hadriano imperium moderante.

Contra Amphitheatrum, praeter metam scatentibus aquis sudantem, templum Veneris et Romae ab Hadriano, eoque artifice, cum porticibus aedificatum exstebat, nec non Colossus Neronis, seu aeneum signum eius, magnitudine celebre; quod Xenodoro neronianae aetatis artifice erectum Vespasianus refecit, dempto Neronis capite et Solis adiecto cum septem radiis, Solique dicavit.

Lege lata ab Honorio imperatore anno CCCIV desit munus publicum gladiatoriū; ferarum tamen ludi ad annum DXXIII, Flavio Anicio Maximo consule, perdurarunt.

Dolet nos aliquid vix attigisse de monumento hoc

maximo, quo, ob molem tantam ac dispositionis pulchritudinem, Romanorum magnificentia priscaeque architectonicae artis honos melius ac splendidius apud omnes pervulgatur.

I. CASCIOLO.

### EX GERMANIA

De commentariis  
et de duabus nunc in Germania potioribus.

**E**CQUID mihi, si scripsero vobis? Amabitis me gratia nunciantem.

Quum primum huc commentarii vestri venerunt, non averso eos acceperunt animo viri, attamen veluti in speculis erant dubitantes utrum fausto alite orti vitam producerent non in horas nati, et, quod maximum erat, utrum haererent incepto, et quales processerant sic sibi constarent.

Nunc autem, quoniam prospera omnia, et plenisima ad vota nostra ceciderunt, gratulor, et certiores vos facio de fama et laudibus, quae hic diversa complent ora populorum, plaudentium peritiae vestrae, o scriptores, plaudentium insuper Menti, cui primum de commentariis edendis cogitatio et voluntas fuit.

Est enim singulis rebus vestris consentiens pulcre stylus, est ordo rerum, est gratia et varietas, est et sapientia, estque ille numerus orationis qui in audiendo blanditur, in legendo delectat.

Adolescentia vestra virilitatem redolat, et robustam pollicetur per saecula senectutem, tempus enim erit, neque hoc remoto disiectum anno, quo, latino sermone auspice, gentium Europaearum unitas coalescat.

Durate, et vosmet rebus servate secundis.



Dicam nunc, quae sunt heic magis prae ceteris in sermone percrebrescentia. Duo potissimum.

Sapientia regentum rem Germaniae publicam, pro pace tuenda. Tenacibus propositi viris, quibus nec arma, nec aurum, nec rei militaris prudentia desunt, negotium est.



Alterum autem simile huic est nova quaedam bellici tormenti inventio, qua nostri pedites instructi singuli ter decies in momento plumbeas in hostem glandes torquent.

Nova inventio in arcanis imperii est, nam praestantia armorum arrha victoriae; idque scimus experti.

Sunt qui opinantur haec nomine magis haber quam factis, quia ferrea fistula, interiori pilae attritu et conflagratione candescens perpetua, nec sustinenda nec versanda manibus aestimatur.



Sed plura huiusmodi praejudicialiter prolata refellit usus, quo carri vapore, aut electride rapti impune et absque incendio in dissitas regiones et regna perpetuo itinere migrant.

Valete iam etiam atque etiam, et me amantissimum romani sermonis, romanarumque rerum sciat, in quo, materno genere, nonnihil romani sanguinis fluit atque, utinam!, romanae illius virtutis, qua priscivestri claruerunt, et quos imitati revivisca condidimus imperium non facile peritum!

I. K.

### ANTIQUUS CRINUM CULTUS

ET FUCUS MULIERUM GRAECARUM

**C**OGITANTIBUS nobis quot quantaeque sint curae atque sollicitudines, quibus nostra hac aetate foeminae comas prosequantur, sponte sua in memoriam redit accuratissimus crinum cultus, quem penes mulieres graecas floruisse scimus. Ipsae enim

quum primum e cubili surrexerant, in secretum locum ad comarum leges exstructum se se recipiebant, ubi ancillarum ministerio capillos aqua pluries collutos, summa cum diligentia purgabant pulvere ex ebeno aut coloribus, quibus pridie vesperi infecterant. Deinde exquisitissimis unguentis suaviter olenibus crines deliniebantur, ex quibus praecipue noctandum irinum, amaracinum, telinum, nardum, atque *παντοχειον*, quod Athenarum proprium erat. Variorum autem colorum, quibus a graecis foeminis comas suffectas memoriae proditum est, fulvus acceptissimus fuisse videtur, crinibusque tinctis superficia ex penicilli artificio perfecte respondebant. Industriae pectinis etiam calamister accedebat, quo, ut nunc etiam est in more, inurebantur crines, qui in unum collecti quodam nodo, apud Thebanas praesertim mulieres, in occidente aut in capitinis vertice devinciebantur, ut mos nostris hisce diebus viget. Quae ratio capillos colligandi *λαπτεῖον*, id est parva lampas dicebatur, cum lampadis forma, tum fulvo colore, quo contortae niterent comae. Saepe etiam vittis sericis acu pectis, vel auro illusis crines colligebantur: latior lemniscus, auro plerumque ornatus, diadematis instar a summo capite ad infimum occupat capillorum volumina complectebatur; quod interdum fiebat reticulis sive sericis, sive aureis filis contextis. Tanti autem apud matronas graecas crinum erat ornatus, ut numquam in publicum prodire tonsis comis ausae sint, nisi graves lugerent calamitates, quibus patria premeretur. At ceteris posthabitis, quae ad patriam defendendam non pertinebant, nihil impediebat quominus ipsae incredibili cura ac sollicitudine comis excolendis navassent operam.

Praeterea graecae foeminae artem perfecte calabant corporis, faciei praesertim, vitia plane occultandi, qua, capillis deficientibus, caput fictis comis perbelle decorarent. Ad venustatem corporis

augendam, vultus rugas fuco et artificio compleentes, spectatorum oculos decipiebant: tum genae ac labia purpureo suffusa pigmento, quasi rosae recens ortae nitiebant; supercilia, ut diximus, crinium plerumque inficiebantur colore, ipsaque lumina nova quadammodo luce vivificari videbantur. Officia insuper nigricans delebatur circulus, quem dolor aut insomnes noctes circum oculos impressissent. Uno verbo, graecae mulieri, ut traditur, quinquaginta circiter rebus opus erat ut pulcro pateret aspectu, nempe vasibus parvisque ampullis, unguentis iucunde olenibus, oleis suavissimos halantibus odores, speculis varia figura et magnitudine, pectine, calamistris, fucis, coloribus, penicillis, peniculis, ceterisque id genus multis; quae omnia nostris temporibus plane perfecteque adhibita a foeminis videmus.

HERSILUS.

### DE CONCILIO EPISCOPORUM AMERICAE LATINAЕ

ROMAM CONVOCATO

**F**ACTUM magni momenti pro ecclesiastica disciplina, non minus quam pro diffusione atque religionis in populos efficacitate, tum ad arctius obstringendum cum supremo Pastore coniunctionis vinculum in primis idoneum, est procul dubio consensus episcoporum Americae latinae, qui mox Romae celebrabitur. Omnes in America huic incepto vehementer favent. Litterae ipsae ab episcopis redditae omnes ob hoc incepsum grati animi obsequium Summo Pontifici testantur; tum cleri, tum populi alacriter in unum consentientes, decernendis ab hoc concilio praeuntem adhaesionem praeferunt. Huius concordiae exemplum primum ab episcopis praestitum, qui quum propter difficillima illarum regionum itinera aliisque de causis universi Romam convenire non possint, metropolitae et suf-

8]

### ANTHEA

(Ex fabula H. SENKEWITZ POLONI, *Eamus ad Ipsum*).

Rem sane miram quod spectaculum duplex pavenerit turbam, alterum extincti hominis, alterum renidentis iterum solis. Tum subeunti propius Anthaeae auditae sunt voces: « Descende de cruce ». Illa autem diu mira reclinatum caput et exangue corpus, secum reputabat, fierine posset ut mortuus ille reviviseret. Sed vehementius angebatur Cinna, qui etsi nulla spe tenebatur resurrecti Nazareni, persuasum tamen habebat, eundem potuisse vivum Anthaeae morbo mederi. Iterantibus autem vocibus: « Descende de cruce », — Descende — et ipse clamavit moestissimo gemitu: — sana aegram, meque tecum rape.

*Et iam summa procul villarum culmina fumant,  
Maioresque cadunt altis de montibus umbras.*

Quare Cinna iussit lectarios moveri. Anthaea, ubi domum se recepit, — Hodie — inquit — horrenda visa objecta sunt nulla.

Sed neque crastinus attulit dies. Qua de causa laxata aliquantulum vis morbi est. Animo quoque eriendo multum profuit Timonis adventus, qui gravibus Cinnae litteris excitatus, quam potuit celerrime contendit, ut extremum videret filiam.

Interim Cinna quidquid in utramque partem aut metus aut spes subiecerat secreta aestimatione pensabat; quietis intervallis usam quidem fuisse alias

uxorem; non tamen bidui; quod animum recepisset, eius rei causam facile esse aut patris contubernium, aut excitatos ferali spectaculo sensus.

Ceterum quae subiecta oculis fuerant ita mulieris animum affecerant, tam alte insederant menti, ut ab earum rerum cogitatione aut sermone vix abduci posset. Intento ore asidebat pater nec obiiciebat quidquam: interdum de viri doctrina percontabatur quaedam, irrito plerumque studio, quod explicari a filia non plura possent, quam quae a Pontio Pilato accepisset.

*Et iam nox humida caelo  
Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.*

Itaque, remotis arbitris, quieti se tradit mulier. Ecce autem nondum plane sopita, sive aurium ludibrium, sive vera res fuit, audire sibi visa est effusum per auras concentum mire fleabilem, his modis:

*E caeli gremio nostras deductis in oras,  
Collibus aeternis genitus, stirps alta Parentis  
Acquaevi, intactae soboles spesque unica Matris,  
Ederat e molli cum primum cespite florem  
Halantemque avidas calicem proferret ad auras,  
Excidit insano correptus turbine. Mutus  
Cuncta dolor terrorque tenet, pavidusque refugit  
Grandia naturae miratus funera Titan.  
Eheu nutantem concussis axibus orbem  
Effugere, et caelum pallenti luce cruentum  
Quis dabat? Adsitis, Superi, vastamque ruinam  
Aeternis sufflere humeris: quo pondere tanta  
Iam premitur moles? quae nunc extinguitur heu lux? (1)*

(1) Hos et in sequentes versus, quemadmodum alia non pauca, suo marte scriptor latinus fixit.

His erecta vocibus diu haesit, multa animo agitavit, uberes effudit lacrimas, donec ignota quadam consolatione perculta ac quasi fatigata in somnum decidit.

Ubi novus illuxit dies, omnium fulgidissimus, dormientem excitavit puerorum ac virginum, ut videbatur, chorus, ea gratia vocum tamque suavi sono, ut putares canere inter auras Charitum concordiam.

*Funde Sion carmen: salve mihi splendida Solis  
Purpura; salvete o virides in collibus herbae  
Et gemmae roris zephyrique tepentis odores.  
Quam serpit dulcis circum praecordia sanguis!  
Instaurate aras, dabimus mox thuris odores  
Mundaque purpureo spargemus limina flore.  
Funde Sion carmen: longae post tempora brumae ~  
Impia silva ruit, isseia germinat arbor.*

Quo cantu delectata mulier risit tam blandum, ut nihil ea forma posset cogitari pulchrius. Adiere parens et coniux, quibus nullae fuerant auditae voces, admiratique oculos clariores stellis extra lunam fulgentibus et roseo colore suffusas genas, suismet oculis detrectabant fidem. Iamque in spem novam erectus animi pendebat Cinna, deberetne humi se prosternere diisque agere immortalibus gratias. Verum, quum in eo esset ut poplites flecteret venerabundus, revocatus est ab uxore petente ut in atrium sub umbra palmae deferretur.

Ibi aliquot horas spatiati viri periculum meridiani temporis anxi exspectabant, eo magis quod videbatur aegra in dubium soporem incidisse. Cinna, qui omnia

fraganei n  
dato gerer  
una et vig  
dus episco

Interea

pus Goya

propter pe

convocatione

SS.mae Tr

micilium e

Americae.

lano archiep

archiepisco

accident. C

Pii aula ma

licentur qu

Praeter  
mus, his di

Vindobon

cultata Cle

filia. Saticulae

vixit, ibique

archidiuci, Fer

solemnibus sa

sed etiam bene

sam allocutus,

nostrorum corpu

vator et Franci

Leopoldi Saxo

cips Isenburg-

Florentia

torii ordinis v

Mazzinio favit

electus ac bis

creatus est pri

facilius qua

inter et spe

singulos. F

pente rese

manu, Cai.

Expallu

adesse mul

— Vide

cem illam

— Obsc

At illa g

mat. — Ag

det: transfi

sericordiae

me vocat.

Ad haec

quit — ear

Desiluit

ribus, quibus

caeco quod

tius Pilatus,

tem sudore

Is ancip

— Audistis

tuis Nazare

Cui Ant

ras. — Arre

eamus ad I

cio completes,  
in genae ac labia  
sae recens ortae  
ium plerumque  
nova quodam-  
cancia insuper ni-  
or aut insomnes  
no verbo, grae-  
a circiter rebus  
nempe vasibus  
nde olentibus,  
speculis varia  
istris, fucis, co-  
e id genus mul-  
ane perfecteque

HERSILUS.

CAE LATINA

eclesiastica disci-  
diffusione atque  
ad arctius ob-  
e coniunctionis  
cul dubio con-  
qui mox Ro-  
a huic incepto  
episcopis red-  
ti animi obse-  
cum cleri, tum  
es, decernendis  
onem pae se  
rimum ab epi-  
difficillima il-  
aus universi  
politae et suf-

ta animo agi-  
gnota quadam  
in somnum

fulgidissimus,  
virginum, ut  
tamque suavi  
haritum com-

da Solis

verbae

ores.

anguis!

ores

ore.

a brumae

m blandum,

rius. Adiere

uditiae voces,

a lunam ful-

nas, suismet

pem novam

tne humi se

gratias. Ve-

ret venera-

ut in atrium

meridiani

videbatur

qui omnia

fraganei nonnulli vices eorum in concilio ex man-  
dato gerent. Metropolitanae sedes in America latina  
una et viginti numerantur; duplex igitur recensens-  
dus episcoporum numerus qui concilio aderunt.

Interea illustris dominus Eduardus Silva, episco-  
pus Goyasensis in Brasilia, qui Romae modo est  
propter peculiaria negotia, manebit usque ad diem  
convocationis eiusdem concilii, quae fiet ipso sacro  
SS.mae Trinitatis die, nempe v kal. iunias. Ipse do-  
miciolum elegit apud Collegium Pium meridionalis  
Americae. Hic autem exspectantur dominus Castel-  
lano archiepiscopus Bonaerensis aliisque episcopi atque  
archiepiscopi. Ceteri apud religiosas familias hospites  
accident. Congressus habebuntur in ipsius Collegii  
Pii aula maxima. Omnia huius concilio prospere pol-  
licentur quod, opitulante Deo, toto animo exoptamus.

MARIUS.

## IN MEMORIAM

Praeter Felicem Faure, de quo alias locuti sumus, his diebus peculiari laude digni interierunt:

Vindobonae in Austria, xii kal. martias, **Maria Immaculata Clementina**, Ferdinand II utriusque Siciliae regis filia. Saticulae postridie idus aprilis anno 1844 nata, Romae diu vixit, ibique xiii kal. oct. anno 1861 nupsit Carolo Salvatori archiduci, Ferdinandi magni ducis Hetruriae fratri. Nuptiarum solemnibus sacris summus pontifex Pius IX non solum interfuit sed etiam benedixit, et ipse sacrificium fecit et, sponsum et sponsam allocutus, sua manu eis sacrosanctum Iesu Christi Domini nostri corpus praebuit. Ex eo coniugio nati sunt: Leopoldus Salvator et Franciscus Salvator, Carolina Maria Immaculata Augusti Leopoldi Saxoniae duxis uxor, et Maria Aloysia uxor Caroli principis Isenburg-Birstein.

Florentiae, ix kal. martias, comes **Petrus Bastogi**, sena-  
torii ordinis vir. Natus Liburni anno 1807, adolescens Iosepho Mazzinio favit. Aliquot annos orator legibus ferendis a populo electus ac bis regni publicanorum administer; tandem senator creatus est pridie idus dec. anno 1870.

facilius quam moram illam perpeti poterat, metum  
inter et spem, dormientis anhelitus pene numerabat  
singulos. Fit tandem aliquando meridies. Anthea, re-  
pente reseratis oculis, — Arripe — inquit — me  
manu, Cai.

Expalluit Cinna, ratus umbras terrificas de more  
adesse mulieri.

— Videsne — inquit Anthea — prodeuntem lu-  
cem illam meque petentem?

— Obsecro: averte inde oculos.

At illa gestienti laetitia — Ecce lucem — exclamat. — Agnosco hominem: Ipse est: en mihi subri-  
det: transfixas ad me tendit manus. O inaudita mili-  
sercordiae virum, imo Deum! Ipse me sanat: Ipse  
me vocat.

Ad haec Cinna tremebundus, — Eamus — in-  
quit — eamus ad Ipsum.

Desiluit lecto mulier iis animi et corporis vi-  
ribus, quibus usa fuerat antea nunquam. Simul autem  
caeco quodam impetu recurrentibus obviam fit Pon-  
tius Pilatus, citato cursu anhelus abstergensque fron-  
tem sudore diffluentem.

Is ancipiit inter cachinnum et stuporem vultu  
— Auditistisne? — inquit. — Excitatum aiunt a mor-  
tuis Nazarenum.

Cui Anthea: — Scimus; quae so, ne moras affe-  
ras. — Arreptaque viri manu: — Eamus — inquit —  
eamus ad Ipsum.

P. ANGELINI.

(Finis).

Aliae Pompeiae, viii kal. mart., can. **Felix Jacobus Allari**, antiquitatum rerum peritissimus.

Eodem die, Agathopolis in Gallia, **Felix Benech**, reipu-  
blicae procurator generalis.

Bernae in Helvetia, v kal. mart., **Welti**, sexies civitatum  
foederatarum praeses.

Eodem die, Athenis, **Andreas Syngros** argentarius, ob  
plurimas elargitiones maxime de republica benemeritus.

C.

DE MIRABILI DOMORUM GENERE  
IN URBE NEO-EBORACO

**N**OVUM aedificiorum morem nostra aetas induxit,  
et novae prorsus moliendi ars et ratio inva-  
luerunt, apud Americanos praezeros.

Ferro, dispositis per intervalla lapidibus et late-  
ribus, crates quaedam, et quoddam schema attollitur;  
calx libentius ferro haeret, unde mira compago; at  
ferrea sudium vis, ab imis ad contignationem, clavis  
iugiter connexa, sinit, immo dat, ut, omnibus postha-  
bitis architectonicae artis legibus, in indefinitum ae-  
dificia altitudine crescant, quin cura de fodientis  
fundaminibus ulla urgeat, quin et ulla sit cura latis-  
simi in inferioribus muri.

Hoc igitur more nuper elevatum est in via, quae  
Park Row dicitur, quoddam immane et insolitum,  
forsitan legentibus nostra incredibile, profecto admirabile etiam hisce qui viderint *Maison Monstre*. Do-  
mum Monstrum appellare placuit hoc ingens, quod  
centum et quadraginta novem metris assurgit, septem  
et viginti ordines fenestrarum superimpositos, toti-  
demque ordines habitationum enumerat, ad quas acci-  
dunt cives illis machinis superrimis, quibus nomen  
est *ascensores*.

Maxima inter aegyptianas pyramides haud altior  
metro est. Neque unica est haec cyclopica domus,  
cui tanquam sorori principi et reginae famulantur:  
*Manhattan Life*, quae duo de viginti ordines cubicu-  
lorum; *Saint-Paul* quae sex et viginti ordines; *Ame-  
rican-Society* quae unum et viginti; *Commercial-Cable* quae viginti, et *Cylinder* quae unum de viginti  
praefert.

Verum aquatio in singulis ordinibus, exceptis iis  
qui inter sex ac triginta pedes a solo sunt, non enim  
ultra aqua ex pressione ascendit, toties machinis ite-  
randa est quoties hic trigesimus sextus numerus in  
totali altitudine quadringtonitorum ac septem et qua-  
draginta pedum continetur. Quod quidem in incen-  
diis inutile reddit extinguentium conamen. Duo haec  
non levia videntur incommoda.

G. P.

## FRUSTULA

*De mense martio.*

**M**ENSEM ingredimur maxima aeris inconstans  
vulgo celebratum. Nunc enim subridentes  
caeli ad deambulandum allicit; cave vero ne facias,  
nisi te anteum umbraculo vel immeabili paenula  
munieris: namque ubi minime putasti, flante vento  
collectisque undique nubibus, ac simul extemplo ef-  
fuso imbre, atra furet tempestas, qua vel iter inter-  
mittere, vel omnino perfundi cogeris. Sustine tamen  
laeto animo: horridi haec sunt hiemis tela postrema,  
iamque licet interdum tepenti anhelitu quasi prope-  
rantis zephyri recreari. Fuit hic olim mensis anni  
primus, et Marti parenti a Romulo dicatus; ideoque

et nova comitia habere, et novum virginum Vestalium ignem accendere, laureaque sera in Curia, in  
Palatio, Sacerdotum in aedibus, in Flaminis et Ponti-  
ficiis Maximi ianuis, in consularibus fascibus renovare  
Quirites soliti sunt. Mensem quoque Minervae sacrum  
maiores nostri fecere, ad cuius natalitia dicenda  
*Quinquarias* ferias, eo quod per quinque dies pro-  
ducerentur, dictas, celebrarunt.

¶

*Mensis martii apud Romanos solemnia.*

Mensis martii solemnibus ipsae kalendae initium  
faciebant *Saliorum ferias*, quae nimia licentia a per-  
sonatorum et tripudiantium cohortibus ductae, orgia,  
quibus finis nostrorum temporum Bacchanalibus im-  
ponitur, in mentem reducunt. Eadem die a matronis  
*Matronalia* celebrabantur, Martis quoque in honorem,  
uti volens propitius suam semper progeniem fo-  
cundaret. Deinde, pridie non. aprilis, *Megalesia* fie-  
bant, Magnae Deorum Matri dicata, atque exente  
bello Punico secundo, M. Cornelio Cethego et  
P. Sempronio Tuditano Coss., instituta, ut primae  
simulacri eius advectionis peractae ludis solemnibus  
memoria recoleretur. Tunc patrum coenarum mutua-  
tiones frequentissimae, eo quod Mater Magna ex  
libris sibyllinis arcessita ex Phrygia locum Romanum  
mutaverit. Quarto occurunt ludi Annae Varennae  
sacri, *Vetulae*, uti aiunt, *optimae*, quae plebem in  
Aventino monte obsidione cinctam rusticis moretis  
aluerat. Sunt vero et qui Annam esse Didonis so-  
rorem dicant, quae in Italia comiter ab Aenea ac-  
cepta, monita tamen in somniis, ut odio Laviniae  
cederet, in Numicium flumen se praecipitem dedit.  
Ad ultimum, xvi kal. aprilis *Liberalia*, graece Δωράζει,  
agebantur, a Libero, seu Baccho, nuncupata, in  
quibus anus hedera coronata cum libis et foculo  
proempto sacrificabant; sacerdotes contra per  
forum liberi sedeant: insuper hac die virilem togam  
adulescentes, qui sextum et decimum aetatis annum  
attigissent, sumebant.

¶

*Quo sese ritu homines induant.*

Eos, qui imbre tempesatesque fastidiunt, quibus  
mensis martius instructus quidem procedit, iuvabit,  
credo, in novam, quam proxime anglica quaedam  
ephemeris subduxit, rationem animadvertere; ea  
enim vix perfecta, felices sese existiment necesse  
est. Cum enim satis cuique compertum sit ad decies  
millies et quadringenties et quinquagies centena millia  
per terrarum orbem incolarum numerum ascendere,  
supputa nunc sextam fere ex hac immensa multitudine  
partem, nulla omnino veste indutos vitam agere, et  
quemvis sarcinatorem, qui sibi indumenta concipiat  
vel reparet, omnino ignorare. Ne vero quis timeat,  
sibi aliquem talibus indutum posse per viam occurrere;  
in aequinotialibus plagis, vel in insulis per Pacificum  
mare dissitis, torrido sub dio barbaras huiusmodi gen-  
tes vagare percipiat. Sunt deinde ad septies millies  
centena millia — qui numerus dimidiam fere partem  
humani generis exprimit — qui uno tantum subligamento,  
quod graeca voce περιζώμα dicimus, contenti  
videntur; reliqui denique qui ad quinques millies  
centena millia adnumerantur, omnes corporis partes  
a pedibus ad caput usque vestibus tegunt; quos  
inter nos, qui humanitatis et progressus, uti aiunt,  
velocior in dies cursu viam facientes, nigram ve-  
stem caudae hirundinis instar, nigrumque pileum  
cylindri formam exhibens, ut compte vestiremur,  
invenimus.

FORFEX.

## ANNALES

De novo reipublicae Gallicae praeside eiusque nuntio ad contionem Gallicam. - De supremis sollemnibus sacris Felici Faure tributis. - De reginae Victoriae oratione ad contionem.

**G**ALLICAE reipublicae praeses 483 suffragiis creatus est Aemilius Loubet, natus Marsannae in urbe (Drôme) ante diem kal. ianuarias anno 1838. In iure civili laurea donatus Montelimarii sedem posuit, ubi factus est praefectus civitatis; cuius quidem civitatis anno 1876 electus est orator popularis in Gallica contione. In senatorum numero adscriptus est anno 1885; duobus circiter post annis publicorum operum regendorum munere functus est in primo concilio reipublicae administratorum praesule Tirard, qui tribus post mensibus una cum sociis reipublicae praesidi munus commissum reddere coactus est.

Anno 1892, Carnot praeside quocum familiariter utebatur, concilium reipublicae administratorum constituit, sibique res internas civitatis sumpsit regendas, quas Constans nuper reliquerat.

Loubet reipublicae administratorum praeside, accedit ut operarius quidam Carmaux urbis praefectus electus hoc ipso legitime sibi licere putaret officio suo deesse: qua de re ab administratoribus id aegre ferentibus ex operariorum numero, ad tempus fuit expunctus. Abstinuerunt! Undique populi suffragia violare, civium libertatem cohibere, animi sensus opprimere. Illico effossores omnes deseruerunt opus ut civilem publicis viris darent significationem.

Ad servandum ordinem milites missi sunt; nihilominus artificum circulus iam iam creatus, dolis, minis, vi ceterisque malis artibus impediebat, quoniam effossores in opus incumbenter. Quod in primis tribui debuit illis popularibus oratoribus commutandarum rerum cupidis, qui vehementi cum spiritu instabant ut contumax opificum pervicacia persistaret, nihil habentes singularis benevolentiae documenta, quibus animi sui sensus erga eos iam tum Loubet demonstraverat. Ex quo rixae, contentiones, iurgia in variis reipublicae contionis factionibus. Nam qui rem praesentem tueruntur, incertos, inconstantes et quasi socios tumultus accusarunt reipublicae administratores, novarum autem rerum studiosi nimium severos in populare regimen et in iura ex eo fluentia parum admodum amicos in effossores.

His in rebus Loubet ipse, index supremus factus his dirimendis controversiis, sententiam tulit, qua omnes operum desertores ad labores amplectendos perficiendosque invitabantur, iis exceptis qui de vi accusati poenam exsolvore deberent. Quae quidem exceptio quum effossoribus minime probaretur, foveantibus iisdem oratoribus nihil plane agere statutum est: tum Loubet in publica contione ampliorem dedit veniam, reis condonavit omnesque ad peragenda instituta opera manum admoveare iussit.

Tanta animi magnitudo prohibere non potuit quin remittente operariorum pervicacia seditionis extollerentur voces quae Lugduni ceterisque locis resonuerunt, hortantibus oratoribus quos supra memoravimus.

Parisiis in aedibus Societatis Carmeaux ballista incendiaria posita est, quea domum militum ordini servando delata, tanta explosit vi, ut quinque statim interficerit homines.

Decem post diebus, quibus haec evenerant, propter quaestionem quandam, quae ad dolos fraudesque pertinebat in negotiis Panama, Loubet eiusque socii de republica Gallica administranda concesserunt.

★

A Dupuy praesule reipublicae Gallicae moderatorum, die 21 februarii in contione litterae reipublicae praesidis recitatae sunt, quas nuntium appellamus, cuius haec summa: potestates et imperia demandare hoc unum maxime significasse studium, nempe Galliae erga reipublicae instituta, ea potissimum tempestate qua aliquot flagitosissimi homines perdere omnino conantur. Qua arrepta occasione animorum pacem coniunctionemque efflagitat omni contentione ut natio unione eiusmodi confirmetur, cultumque item a Gallis petit atque observantiam contionis, magistratus, imperii, exercitusque nationis.

Nuntius in auditorum memoriam maxima revocat opera quibus res publica Gallica libertatem et pacem nationi donavit, magnum coloniarum imperium condidit, foedera et magni ponderis amicitias iussit.

Eae verborum locutiones, quibus gloria fortitudinis et praestantiae Gallorum praedicaretur, plausu laetisque clamoribus erant salutatae.

Peroratione denique perfecta dupli plausus contentu undique conclamatum est: Bene Loubet! Bene rempublicam!

★

Suprema solennia sacra Felici Faure tributa die XXIII mensis februarii nullo gravi ingratoque casu turbata sunt. Sacri ritus frequentia populi principumque civitatis et nationum celebrati fastu et apparatu quam maximo in templo *Notre-Dame* perpetrati sunt.

In canonicorum collegio primas agens sacram facit sine cantu; ultimam expiationis precem in examine corpus rite dixit card. Richard.

Reipublicae rectoribus, populoque comitantibus pie religioseque ad ultimam hominum sedem, cui titulus *Père Lachaise*, Felicis Faure defuncti corpus deductum est, ibique in tumulo honorario collocatum cunctis circumstantibus hominibus publicis; post plurimas laudationes funebres in familiae sepulcro conditum est.

Nudo capite secutus est feretrum Loubet praes, cui hue illuc plausum est.

★

Non. id. februarias initium de more datum est Anglorum contioni legibus ferendis reginae oratione, in qua declaratis optimis concordiae vinculis inter Britanniam et ceteras nationes, maxima actae sunt gratiae Larti (*lord*) Kitchener copiis anglo-aegyptiis earumque ducibus de bello sudanensi et de Ondurman urbe capta. Qua de re longe lateque laeta regina locuta bonum sincerumque misit omen ad anglos et aegyptios milites praestantiores quod ad ordinem restaurandum in debellatis provinciis toti essent.

De pace et ordine publico in Creta insula se bene sperare dixit ob Georgii principis industriam in hac regenda insula, nationibus omnibus consentientibus, collocati.

Maxima se esse affectam laetitia, ait regina, cum novum Caesaris (*cæsar*) consilium sibi fuerit delatum atque libenter nationum omnium conventui per legatos interfuturam se esse, ut coniunctis omnium viribus, ingentes armorum moles, quae iamdiu Europae populos opprimant, sin deponi omnino, saltem imminui possint.

Vehementer se esse commotam de interitu optimae imperatricis Austriae-Hungariae, quae suis virtutibus non minus viro suo quam populo cara erat.

De coetu Romae habitu in eos qui evertendarum rerum delictis et sceleribus sunt cupidi (*anarchici*), ait Britanniam non posse omnes amplecti deliberata-

tiones ibi sanctitas, modum tamen exquisituram, quo Anglorum legibus propositae quaestiones consentiant.

Quam ad rem necesse esse aliquid in imperii leges inducere quod perditissimorum hominum audaciam coercere valeat. Ceterum omnia popularibus oratoribus esse perpendenda et adprobanda.

EGNATIUS.

## AENIGMATA

Sanguinis et vitae sōns ac effusor in artus,  
Victimaque in primis irae et amoris ego.  
Ad iuga montis ego sedeo pars altera summi,  
Meque hinc nulla aestas, nullaque vellit hiems.  
*Iuncta* haec verba *simul* tibi dant ventura crientis  
Nubibus a mediis ultraque nomen avis.

Me Guidus monachus genuit; genuere sed ante  
Vates; in septem filia sexta fui.  
*Altera*, quae inde sequor, sum res tua, candide lector,  
Candida, nigra, rubens, cultaque crine frequens.  
*Mixta simul...* proh! cur mixta immutamur in illud?  
Nos sumus..., heu! taedet dicere, triste sonans.

X.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet:

JEANNE D'ARC

ET SA MISSION NATIONALE  
par V. CANET  
opus magnificis figuris ornatum.

Ecce absolutus logographus kalendis ianuariis propositus:

## IN PUERUM SOCORDEM

Care puer, suetus iam te decedere ludis  
Ipse tui ingenitus pectori suadet amor.  
Cur ego non horter cum te socordia laedet  
Spes ac delusas cogat abire tuas?  
Saepe meas venit rumor delatus ad aures  
Te nimis inculta mente favere iocis.  
Iam satis in vili sudasti laetus arena  
Laude manet verax te meliore labor.  
Mavis esse sudes num tu, quam fertilis arbor?  
Et mage quam vernans flos, rubus esse cupis?  
Ne caeleste sinas animi languescere sidus,  
Et putere vela torpida membra situ.  
Quid pigritas, stratisque iacens longa otia ducis?  
Ager num talus, num latius indoluit?  
Erige te, firmis dum floret viribus aetas,  
Nullisque est morbis attenuata salus,  
Insta operi, mercesque para, nec parce labori,  
Ut multa repetas litus onustus ope.  
Vel formicam adiens, piger, inspice: qualis et illam  
Talis sedulitas te quoque sollicitet,  
Assidet haec pueris impigris blanda, piaque  
Dat terrena, dat et caelica dona manu.

Solutionem miserunt:

Excell. Petrus Monti, episcopus, Tibure; I. Damiani, *Sancto Ignatio P. O. in Americae septentrionalis civitatibus foederatis*; Aemilius Chatelain; François Larrieu, Parisiis; Augustus Narquet, Monteloco in Gallia; Abraham Morchio, Genua; Fr. Littuer; Julius Raulius, ex Helvetia; Fr. Xav. Brühl, Valkenburg in Hollandia; Fr. Xav. Reuss; Joseph Bonavenia; Matthaeus De Magistris, Roma; Primus Laurenti, Venetiis; Adalbertus Wann, ex Austria.

Sortitus est praemium

JOSEPH BONAVENIA

ad quem missum est opus, cui titulus:

DIVI THOMAE AQUINATI  
SUMMA THEOLOGICA

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

# OMNES "VOCIS URBIS" RERUM ELENCHI

## I num. ann. I.

- De Voce Urbis - Card. L. M. PAROCCHI.  
*Vox Urbis - v. u.*  
Vocis Urbis antesignani - P. C. DE ANGELIS.  
Birota velocissima - M. RICCI.  
Acraephensis Inscriptio et Oratio Neronis - F. PELLEGRINI.  
Vesperae Palatinae - H. DE VECCHI-PIERALICE.  
Varia. *In memoriam Monaldi Leopardi comitis - I. CUGNONI.*  
*De Paccio nomine - I.*  
*De mense octobri, etc. - FORFEX.*  
Templum Vestae Tibure - I. CASCIOLI.  
Anthea (*Eamus ad Ipsum*) - P. ANGELINI.  
Summo Pontifici Leoni XIII. Disticha - A. ANZOLETTI.  
Annales - EGNATIUS.  
Acta Sanctae Sedis - THOMAS.  
Epistularum commercium - A SECRETIS.  
Aenigma.

## II num. ann. I.

- De litteris graecis et latinis - H. D. V. PIERALICE.  
De arte in bonis moribus - H. LAMBIASI.  
De Thoma Vallaurio - I.  
Recentium librorum - FR.  
Archaeologicae res - H. MARUCCHI.  
Alexander Bonvicinus - I. CASCIOLI.  
Anthea (*Eamus ad Ipsum*) - P. ANGELINI.  
In fontem 'Aqua Sanctae' - F. X. REUSS.  
Frustula - FORFEX.  
Annales - EGNATIUS.  
Acta Sanctae Sedis - THOMAS.  
Epistularum commercium - A SECRETIS.  
Aenigma - X.

## III num. ann. I.

- Iulio Sterbinio. Disticha - LEO XIII.  
Minuciana - F. RAMORINO.  
De Hieronymo Savonarola - R.  
Inscriptions - S. GROSSUS.  
De Laurentii Bernini vita et operibus - I. CASCIOLI.  
De arte sacra proposita Augustae Taurinorum - H. LAMBIASI.  
Laurentius Perosi - HER SILUS.  
Zoologicae res. *De pithecanthropo erecto - I. TUCIMEI.*  
De infantilis sugentibus luparum ubera - P.  
Anthea (*Eamus ad Ipsum*) - P. ANGELINI.  
Frustula - FORFEX.  
Horae subsciviae - *Rivulus et turtur* - F. X. REUSS.  
*Ad Vocem Urbis. Disticha - H. A. STRONG.*  
Annales - EGNATIUS.  
Acta Sanctae Sedis - THOMAS.  
Aenigma - X.

## IV num. ann. I.

- Iulii Sterbini filii Iosepho Alphonso Nicolao - LEO XIII.  
De honoribus recens habitis Ioanni Bosco - A. GALLI.

De Vita sancti Francisci omnium antiquissima - F. RAMORINO.

Operariorum cappellani - D. TAMILIA.

De bello inter Hispanos et Foederatas Americae civitates - MARIUS.

Iris Petri Mascagni opus - HER SILUS.

Ad Puerum Iesum - F. X. REUSS.

Quaenam ad rationes putandas antiquis gentibus via - F. TEDESCHINI.

De Christi Domini praesepe - I. CASCIOLI.

Anthea (*Eamus ad Ipsum*) - P. ANGELINI.

De homine et lupo non sua sponte equitantibus - H. DE VECCHI-PIERALICE.

Horae subsciviae. *Ad Antonium Lupettium - S. GROSSUS.*

*Ad Vocem Urbis. Epigramma - E. MANCINI.*

Annales - EGNATIUS.

Epistularum commercium - A SECRETIS.

Aenigma - X.

## I num. ann. II.

Litterarium certamen et praemia constituta viatoribus - v. u.

Annus M DCCC XCVIII - A. Z.

In mortem Felicis Cavallotti et Elisabeth imperatricis latinae elegiae - F. RAMORINO.

De Adamo Mickiewicz - H. LAMBIASI.

De rebus Italianis inter et Galliam commercio permutandis - MARIUS.

Horae subsciviae. *Reginae Margaritae Sabaudiae*

Ad Virginem Dei Matrem precatio latinis versibus expressi I. B. GANDINUS.

*In Puerum Iesum - P. ANGELINI.*

De Laurentii Perosi opere, cui titulus *Resurrectio Christi* - C. DE ANGELIS.

Paulina Teklhionwake poetria et mulieres ironiques Americae septentrionalis - D. TAMILIA.

Effossiones novae in area Romani Fori prope templum Caesaris - H. MARUCCHI.

Ex Anglia. De disciplina scholastica apud Britannos - H. A. STRONG.

De fine orbis terrarum ac de exitu humani generis - H. DE VECCHI-PIERALICE.

Frustula - FORFEX.

Annales - EGNATIUS.

Acta Sanctae Sedis - THOMAS.

Logographus - C. DE ANGELIS.

## II num. ann. II.

De probabili foedere inter Angliam et Americae Septentrionalis civitates - A. ZAMA.

De ethnicorum scriptis in adolescentium institutione retinendis - F. TEDESCHINI.

Minuciana - F. RAMORINO.

Ex Bosphori litoribus - B.

Tenui victu contentus, Ingluviem fuge. *Ad Fabrictum Rufum. Epistola - LEO XIII.*

De Moscoviae imperatoris consilio circa pacem - MONTELUCCIUS.

De monumento sepulcro Romuli attributo et in effossionibus Fori Romani nuperrime invento - H. MARUCCHI.

Anthea (*Eamus ad Ipsum*) - P. ANGELINI.

Antonius Fogazzaro - HER SILUS.

Quaedam de instauranda sacrorum dierum observantia - LAELIUS.

De Laocoontis statua - I. CASCIOLI.

Annales - EGNATIUS.

Acta Sanctae Sedis - THOMAS.

Aenigma - X.

## III num. ann. II.

Maiora imperia quae nostra aetate habenda sint - EU CALYPTUS.

De Isaco Thoma Hecker - C. I.

Franciscus Coppée poeta - D. TAMILIA.

Ex Gallia. De Galliae conditionibus in praesentiarum - SENIOR.

Latinæ adnotatiunculae - F. R.

An florum usus fuerit in exequiis veterum christianorum - I. BONAVENIA.

Gustave Zédé navigium in mare nuper deductum - LAELIUS.

De Iudaica gente in Europa - B. NELLI.

De Judith tabula Petro Aldi auctore - I. CASCIOLI.

In memoriam - C.

Anthea (*Eamus ad Ipsum*) - P. ANGELINI.

De California eiusque incolis - ALPHA.

De nebulosis inter sidera Orionis et Cete - H. DE VECCHI-PIERALICE.

Bacchanalia romana ut olim celebrata, ut nunc - FRANC. X. REUSS.

Gratus Columbianorum animus in Christum Iesum - N.

Annales - EGNATIUS.

Acta Sanctae Sedis - THOMAS.

Logographus - C. DE ANGELIS.

## IV num. ann. II.

De coloniis deque earum utilitate - EU CALYPTUS.

De musica graeca - F. RAMORINO.

De monumento cardinali Lavigerie eretto - LAELIUS.

Leopardiana - JOSEPH.

Ascensus in Alpes - FRANC. X. REUSS.

De lyricis Horatii carminibus - I. LEMETTE.

Gladiator morti proximus - CAIUS.

Nititur in caelum virtus - T. C.

Ex Batavia - M. L. MICROVIR.

De Sancti Joachimi templo - A. P.

De veneti ducis palatio - H. DE VECCHI-PIERALICE.

In Alexandri Volta honorem - ALPHA.

Tremulus Daemonis sonitus vulgo *Il trillo del diavolo* - HER SILUS.

Anthea (*Eamus ad Ipsum*) - P. ANGELINI.

In memoriam - C.

Frustula - FORFEX.

Annales - EGNATIUS.

Aenigma - X.

*In secunda operculi pagina:*

Varia: *Nuptiae tristes - Regna profunda - Ciclopibus digna - Numerorum arcana - Venetanda Buddhae - Horologium praestantissimum - Ioci.*

## FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

Veneunt apud VOCIS URBIS Administrationem.

### URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 × 0.24)

qui ad socios VOCIS URBIS dono datur,  
venit singillatim L. 2.50

apud VOCIS URBIS Administrationem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

## LE LAUDI LATINE

E

## IL CANTICO DEL SOLE

DI

SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier viro rei longe peritissimo conscriptam, continentur *laudes latine* cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime alii subsequentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* compandam, **Iulius Salvadori**, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud *Vocis Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

Typis Desclée, Lefebvre & S. nuperrime prodit

## Novum MISSALE

in-4 (33 × 23) rubeis limitibus ac duabus imaginibus *cromolithographicis* exornatum.

EDITIO ROMANA, charactere nigro et rubro absoluta, a S. R. Congregatione approbata, Academiae et Ephemeridis Liturgicae cura atque studio. — Solutum, Lib. 20; *bazana* religatum, foliis flavi coloris, cruce inaurata, Lib. 30; *idem*, foliis quoque inauratis, Lib. 34.

Commentarius, cui titulus *UNITÀ CATTOLICA*, die 26 mensis febr., haec fere scripsit:

MITTUNT ad nos novi Missalis exemplar diligentissimi Sanctae Sedis Apostolicae et S. R. C. typographi Desclée et Lefebvre, quod orbi catholico gratissimum atque acceptabile fore speramus, quippe quia sunt in opere elegantia, et splendor; foliorum autem tenuitas, dum pondus allevat, chartae firmatae nil detrahit.

Cura et studio in quinque et viginti annos productis, egregii typographi, quantum homo possit ac valeat, perfecere librum qualem omnes optabant, nec absimilem Breviariis ac Horis Diurnis, quae nuper ediderunt.

Etsi characteres non iidem, qui fuere in duabus editionibus pulcherrimis, queis benemerentissima Societas adlaboravit, nihil haec habet editio quo deterior sit, quinimo et facilitior usu, et minori pretio commendatur.

De forma, pondere et nitore diximus; at laudationem suam promerentur initiales litterae in simplicitate elegantes, et a nigris et rubris textus notis non absonae, nec minus laudanda sunt sacrae illae imagines textui interpositae ad ornamentum et ad sacerdotis respicientis pietatem fovendam, vel excitandam, et ad memoriam in Mysterio magisque firmandam.

Curatum opportune fuit ut color chartae oculis blandiretur, non illos offendaret, quod plerunque fit si vel nivali albedine charta gauheat, vel in atrum pendeat, vel aliquid flavescens habeat.

Sed quum prae omnibus cavendum sit ne sacerdos sacra facturus a Mysterio distrahitur per opus necessario in Mysteria intercidens, et cum opus eiusmodi sit, taedi et sollicitudinis plenum opus, sacrarum caeremoniarum per singula momenta enucleata descriptio, Societas S. Ioannis super omnia curavit ut dispositio diligens sacrae liturgiae cum

candore et nitore textus contendat, et quod in textu sit dignum praeconio, in rubricis quoque laudandum appareat.

Qui vel summis oculis praetervolantes hoc Missale respexerint, sentient cum editione hac vel nullam comparandam esse, vel, si qua comparetur, nullam habendam esse potiorem.

Adde nunc hic per extensem Missas esse dispositas, quae frustra in aliis editionibus desiderantur, idque ita factum, ut quae utilia diversis regionibus sunt, prout Hibernicis, quae utilia diversis Congregationibus, et propria, prout est illa presbyterorum saecularium Missionis, etc., praesto sint et opportuna coram oculis adsint.

Quod vero Missale hoc vix unquam lectorem alio mittat quaesitum, duci potest velut omnium absolutissimum; semper enim evangelia ac epistolae repetita fuere etiam in missis rit. semidupl. ne sacerdos operaturus, hac vel illac inquirendo, volumenque longum versando, distractionem aliquam pateretur. Supervacaneum denique urgere videtur quoad diligentiam ordinemque sacri textus cum folia omnia per S. R. C. singulatim fuerint revisa, et editio ac dispositio per Urbis Liturgicam Academiam effecta.

Ex omnibus quae de egregio Missali isto innuimus licet colligere Domum Desclée et Lefebvre attigisse denique perfectionem illam quae tam diu commune exercuit desiderium.

Pro certo habemus lectores nostros sacerdotes hoc novum Missale omnibus numeris absolutum omnibus conditionibus respondens, veteribus, quibus adhuc sunt usi, anteposituros.

Liceat nunc liturgiae S. Ioannis Societati optime meritae gratulari, quae in cunctis quae aggreditur maiorem Dei gloriam, decusque Sanctae Ecclesiae praे oculis habet semperque foveat.

H. GRISAR S. I.

### STORIA DI ROMA E DEI PAPI NEL MEDIO EVO

TRADUZIONE DAL TEDESCO

Parte I: ROMA SUL FINIRE DEL MONDO ANTICO

Tria volumina, in-8 magno, Lib. 20.

Quatuor volumina, Lib. 30. — Editum est tantum primum volumen. Altera edentur mense aprilii. — Quatuor volumina, Lib. 30.

### ANALECTA ROMANA

DISSERTAZIONI, TESTI, MONUMENTI D'ARTE

RIGUARDANTI PRINCIPALMENTE LA

STORIA DI ROMA E DEI PAPI NEL MEDIO EVO

Vol. unicum, in-8 magno, Lib. 15.